

REVERENDO DOMINO  
M. HOFFMANNNO  
BENE PRECATVR  
PRAESES.

**G**rave & pondere plenum est illud Augustini: Nemo delet de coe-  
lo Constitutionem Dei, nemo delet de terra Ecclesiam Dei.  
Epist. CLXII. ad Glorium, Eleusium & alios Donatistas, p. 773.  
Vti enim prius illud omnes terrere potest ac debet, quotquot a veritate  
coelesti, etiam meliora edocti, deviant & aberrant, eosque certiores esse  
jubet, verbum Dei, quod sententiam & mentem ejus de salute homi-  
num continet, quicquid etiam hi audeant, inviolabile tamen manere ac  
perdurare: Ita posterius haud obscure solatur & erigit omnes illos, qui  
in tramite salutaris doctrinae recte & constanter incedunt, argumento  
sane validissimo, neminem adhuc deprebensum esse, qui quanto maxime  
etiam conatu id ausus sit, delere potuerit ecclesiam, ac coetum vere De-  
um consentium atque laudantium. Prius unumquemque admonet officii,  
alterum in praestito officio confirmat & sustentat. Spectatim ministros  
ecclesiae ac doctores prius ad constitutionem alacriter defendendam, alte-  
rum, ad ecclesiam recte pascendam, valide satis impellit & urget. Lau-  
do igitur conatum Tuum, quo in praesenti instituto, & constitutioni Dei  
Te accurate inbaesurum, & ecclesiam tuae fidei traditam sollicitè cura-  
turum esse declaras & profiteris. Vides, pro animi tui sagacitate, quan-  
tum in utroque sit momentum. Deleta enim Dei Constitutione, deletur  
ecclesia, deleta ecclesia, deletur salus. Opus igitur, constitutiones Dei in  
verbo propositas & Symbolis ecclesiae nostrae, accurate tueri, haec enim  
sunt deposita in regno gratiae, quibus nihil pretiosius poterat excogitari.  
Et cum haec cordi Tibi esse, testimonio ac specimine hoc satis luculento te-  
steris, de hac Tua tibi assiduitate gratulor, Deumque rogo, ut ad spar-  
tam Tibi destinatam ita expediendam Te proxime accingas, ut & consti-  
tutiones Dei accurate teneas, & animas Sanguine Christi acquisitas recte  
ac sollicitè pascas, certus, Tibi praemia & praesidia Numinis non desu-  
tura. Quod non tam verborum multorum apparatu, quam animo sin-  
cero erga Te exprimendum & declarandum putavi. Wittebergae  
d. XXI. Jan. M DCC XXII.